



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 4. Vtrum is qui iure potestatem non habet Indulgentias conferendi,
possit hanc consuetudine obtinere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Archidiaconus, Panormitanus, Innocentius, Aluarus, Cardinalis Sabarella, & Bernardus Glossator Decretalium; quos citat Angelus & Rosella.

Sed contrarium est verius, quod tenent communiter reliqui Doctores, & iura ab alijs citata non probant illud; vt recte Nauarrus docet.

DVBIVM IV.

Verum is, qui iure potestatem non habet Indulgentias conferendi, possit hanc consuetudine obtinere?

16 R Espondeo: Si Pontifex omnino ignoret illam consuetudinem, aut cognita improbet, nulla per eam acquiritur potestas in Indulgentias. Nam potestas remittendi poenas in iudicio Dei debitas, non nisi vera auctoritate à Christo descendente, haberi potest. Si autē consuetudo illa Pontifici sit perspecta, & sic tolerata, vt approbari tacite videatur, tunc per eam verum ius acquiritur. Nam sicut ipse potest hoc ius conferre expressa voluntate, ita etiam tacite approbatione. Ita docet Antonius Corduba quaest. 10.

CAPVT II.

Quid sint Indulgentia.

DVBIVM I.

Verum concessio Indulgentiarum formaliter sit absolutio à poenis debitis; an solutio pro ipsdem ex thesauro Ecclesiae?

17 S Vnt tres sententiae. Prima est Francisci Maronij, Esse meram absolutioem à poenis peccatorum ex potestate Clauium, sine interuentu solutionis; quia putat non extare thesaurum vnde fiat solutio.

Secunda sententia est in altero extremo, scilicet, Esse solummodo solutionem pro debito poenarum. Ita Durand. in 4. dist. 20. q. 3. & 5. Palud. eadem dist. q. 4. D. Antonius 1. p. tit. 10. c. 3. Siluester Verbo Indulgentia, num. 3. & fauet D. Thomas hic qu. 25. art. 1. ad 2.

Tertia sententia est media. Pro qua Dico Primò, Indulgentia, quae datur viuus, est absolutio à poena debita; interueniente tamen applicatione satisfactionum ex thesauro ad iustam poenam illius compensationem. Ita tenet Abulensis q. 90. in c. 16. Matthaei, Caiet. Tract. 15. c. 5. & 6. in tomo 1. Opusculorū. Dom. Soto d. 21. q. 2. a. 3. Petrus Soto lect. 2. de Indulgentijs. Richardus à Media-villā dist. 20. circa tertium principale, quaest. 1. & 3. Eandem insinuat D. Thomas in 4. dist. 20. art. 3. quaestiuicula 1.

Prima Pars. Probatu Primò: Quia concessio Indulgentiarum est actus potestatis Clauium; vt patet ex dictis dub. 1. c. 1. Atqui concessio Indulgentiarum non pertinet ad potestatem Ordinis, vt omnes fatentur; nam Episcopus ante consecrationem Indulgentias conferre potest: ergo ad potestatem iurisdictionis: ergo Ecclesia in concessione Indulgentiarum vtitur iurisdictione, & iuridicè absoluit à poenis peccatorum. Cōfirmatur ex nomine: quia non ille qui soluit pro altero, dicitur indulgere ei poenam, sed qui ex auctoritate eam remittit.

Probatu Secundò: Ex Capit. Quod autem, de Pœnitentijs & remiss. vbi Alexander III. aperte

respondet, Episcopus non posse conferre Indulgentias, nisi suis subditis, eaſque alijs nō prodesſet. Quia, inquit, nemo nisi à suo Iudice ligari, vel absolui potest: aperte ergo sentit concessionem Indulgentiarum esse iuridicam absolutionem.

Probatu Tertiò: Indulgentiæ passim in iure & literis Pontificum, quibus conceduntur, vocantur peccatorū absolutiones, relaxationes, remissiones, cōdonationes. Vide Cap. Quod autē. Cap. Quod ex eo. Et Cap. Nostro, de Pœnit. & remission. Et Extrauagantem Bonifacij VIII. quae incipit, Antiquorum, eodē tit. inter Extrauagantes. Et Bullā Martini V. in fine Concilij Cōstantiensis. Et epistolā Gregorij VII. ad Clerum & populum Belluacensem.

Probatu Quartò: Quia alioqui priuatus posset cōcedere Indulgentias; potest enim per suas satisfactiones pro alterius debito soluere. Similiter Sacerdos in sacrificio Missae diceretur concedere Indulgentias; applicat enim Christi satisfactiones ad remissionem poenae temporalis. Quae tamen absurdè dicerentur. Constat ergo Indulgentias viuorum esse veram absolutionem.

Secunda Pars, Quod etiam interueniat dispensatio thesauri, certissima est, quidquid dixerit Michael Medina. Primò: Quia id aperte asseritur in Extrauagante, Vnigenitus. Secundò: Quia in Bulla Leonis X. cōtra Lutherum, damnatur iste articulus: Thesaurus, vnde Papa dat Indulgentias, nō est Christi & Sanctorū: qui tamē articulus verissimus esset, si nulla interueniret thesauri dispensatio. Tertiò: Remittere poenam sine vllā cōpensatione, est eius, qui habet supremam & independentem potestatem, qualis est in Deo; atqui Papa non habet potestatem, nisi Vicarij Christi; ac proinde nō potest remittere, nisi pro vt statuit Christus, qui pro omni culpa & poenā satisfecit. Quartò: In Sacramento poenitentiae peccator nō absoluitur à culpa vel à poenā, nisi intercedente applicatione pretij Sanguinis Christi. Alia quoque Sacramēta nō liberant à culpā vel poenā, nisi eiusdem pretij interuētū, iuxta illud 1. Ioā. 1. Sanguis IESV Christi Filij Dei emundat nos ab omni peccato: ergo multò minùs extra Sacramētū poterit quis absolui à poenā, nisi eodem pretio mediante.

Notandū tamen, Quando Pontifex à poenā absoluit, non requiri aliquem actū, quo significet se applicare satisfactiones Christi & Sanctorum, aut soluere Deo per eandem. Nā hoc ipso, quo absoluit virtute Clauium, implicite censetur hanc applicationem & solutionē facere: sicut quando Sacerdos in Sacramento Pœnitentiae absoluit, non debet expressè intendere applicare pretiū Sanguinis Christi ad peccatorum expiationē, aut ad soluendum Deo pro debito peccatorū: nam satis hoc intendere censetur, dum intendit conferre Sacramētum. Si tamen expressè vellet non applicare has satisfactiones, & sola virtute Clauium absolueret, nihil efficeret; quia talis potestas non est in Ecclesia.

Dico Secundò: Indulgentia, quae datur mortuis, non est absolutio facta per Ecclesiam, sed solutio & oblatio pretij, vt à Deo absoluantur. Sed de hoc infra.

Obijcitur Primò: Pontifex potest consequi Indulgentias, quas ipse alijs concedit: atqui non potest seipsum absolueret, quia nemo in seipsum iurisdictionem exercere, aut alteri in se eam tribuere potest, quidquid alij dixerint: ergo Indulgentia quae datur viuus non est absolutio.

Cccc Omilia

18 Probatu etiam interuenire thesauri dispensationē

18 Probatu etiam interuenire thesauri dispensationē

Hee dispensatio non debet fieri actu expresso

Quid Indulgentia mortuorum

19 1. Obiectio quod Papa lacrando Indulgentias, seipsu absolueret

17 Tres sententia

Quid sit Indulgentia r i ad r um?

Probatu, esse veram Absolutionem